

5. *Quæ hæreses & schismata exorta hoc Seculo?*

1. Origenes qui prius Ecclesiam eximia eruditionis virtutisque splendore illustraverat, ex Platonis dein libris multos hausit errores, hæresúmque variarum sparsit semina. 2. Novatiani omnia peccata æqualia esse dicebant. Damnabant secundas nuptias, & cum Montanistis negabant, pœnitentiam esse sacramentum. 3. Sabelliani divinarum personarum trinitatem inficiabantur. 4. Paulus Samosatenus Christum merum esse hominem, affirmabat. 5. Manes Manichæorum Coryphæus liberum hominis negabat arbitrium, & cum Marcionitis duplex rerum omnium statuebat principium, bonum unum, alterum malum, à quo omnes cibi, résque corporeæ essent productæ. Docebant item Manichæi, fas non esse invocare Sanctos, aut eorum Lipsana in honore habere ac veneratione. Eodem hoc Seculo Episcopi quidam Sanctitatis laude celebrati, baptismo ab hæreticis initiatos sacro iterum fonte abluendos esse contendebant. Alii Chiliastris accessere, donec utraque hæc sententia à Sede Apostolica erroris fuit damnata.

6. *Quæ Concilia celebrata?*

A. 252. in Concilio Romæ contra Novatianum coacto, decretum est, ut, qui suppliciorum metu idolis sacrificassent, actâ ritè pœnitentiâ, in Fidelium numerum reciperentur. A. 257. in Concilio itidem Romæ celebrato Hæreticorum Baptismus ratus habebatur. A. 265. in Concilio Antiocheno Pauli Samosateni hæresis est damnata &c.

7. *Qui*